

# Les 1 Sprookjesachtige verhalen en legenden uit de middeleeuwen

## 1 Eén brood met z'n drieën – pag. 6

### De oplossing

Dixeruntque ad invicem: ‘Si panis in tres partes dividitur, non sufficit unicuique ad saturitatem. Habeamus ergo sanum consilium, quid sit faciendum de illo pane!’ Ait unus: ‘Dormiamus hic in via et quilibet somnium habeat: et qui melius somnium viderit, ille totum panem habeat.’

5 Responderunt duo: ‘Bonum est consilium.’ Et inceperunt dormire.

Interim socius, qui consilium dederat, surrexit et ipsis dormientibus panem totaliter comedit nec unam micam sociis dimisit. Hoc facto socios suos excitavit et dixit: ‘Surgite velociter! Tempus est, ut quilibet somnium suum dicat.’

### **De droom van de eerste vriend**

- 10 Ait primus: ‘O carissimi, mirabile somnium vidi. Unam scalam auream de caelo descendentem vidi, per quam angeli ascenderunt et descenderunt et animam meam usque ad caelum de corpore meo traxerunt. Quando autem ibi eram, vidi patrem et filium et spiritum sanctum, et tantum gaudium circa animam meam erat, quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor
- 15 hominis ascendit, quod ibidem percepi. Et istud somnium est meum.’

### **De droom van de tweede vriend**

- Ait secundus: ‘Et ego vidi, quod daemones cum instrumentis ferreis ac igneis animam meam de corpore meo traxerunt et ad infernum duxerunt et in quodam lecto novaculis pleno me requiescere fecerunt et dixerunt:
- “Quamdiu regnat deus in caelo, in isto lecto permanebis.” Et hoc est
- 20 somnium meum, quod vidi.’

### **De droom van de derde vriend**

Ait tertius: ‘Audite somnium meum! Mihi videbatur, quod quidam angelus

ad me venit et ait: “Carissime, vis videre, ubi sint socii tui?” Respondi:

“Etiam, domine, quia inter nos habemus unum panem dividere. Timeo, quod

cum pane recesserint.” Respondit angelus: “Non est ita, sed panis iuxta te

25 iacet. Sequere me!” Duxit me ad portas caeli et dixit: “Tantummodo caput

tuum intret et non corpus, et tunc videbis, ubi sit unus ex sociis tuis!” Cum

vero caput meum intro fuisset, vidi unum, scilicet te, qui raptus fuisti ad

caelum, sedere in throno aureo et multa fercula ac vina ante te. Dixitque mihi

angelus: “Ecce, socius tuus abundat omni gaudio et cibariis et ibi in aeternum

30 permanebit, quia, qui semel caelum introierit, in aeternum non exiit. Iam

veni mecum, et ostendam tibi, ubi sit alter socius tuus.”

Cum vero secutus illum fuisset, duxit me ad portas inferni, et vidi te ibidem,

sicut dixisti, in quodam lecto novaculis acutis pleno iacentem, et cottidie

ministrabatur tibi vinum et panis in magna copia. Tunc quaesivi a te et dixi:

35 “O carissime, mihi displicet, quod te in tali lecto video iacere. Quamdiu ibi

remanebis?” Et respondisti: “Quamdiu deus regnabit in caelo, tamdiu hic

permanebo, quia hoc merui. Surge cito et comede panem totum, quia nec me

nec alium socium amplius videbis!” Ego vero, cum haec audissem, surrexi et

comedi panem, sicut tu mihi dixisti.'

### Verdieping 1- Les 1

Viditque in somnis scalam stantem super terram et

cacumen illius tangens caelum: angelos quoque Dei

ascendentes et descendentes per eam et Dominum

innixum scalae dicentem: 'Ego sum Dominus Deus

5 Abraham patris tui et Deus Isaac: terram, in qua dormis,

tibi dabo et semini tuo. Eritque semen tuum quasi

pulvis terrae: dilataberis ad occidentem et orientem et

septentrionem et meridiem: et benedicentur in te et in

semine tuo cunctae tribus terrae. Et ero custos tuus

10 quocumque perrexeris et reducam te in terram hanc:

nec dimittam, nisi complevero universa, quae dixi.'

Bijbel, Genesis 28.12-15



## 2 De grootste domkop- pag. 8

### De gouden appel

Aurelianus regnavit in civitate Romana potens valde, qui unicum filium habebat, quem multum dilexit. Accidit, quod, cum graviter infirmaretur, vocavit filium suum et ait: ‘Carissime, unum pomum aureum habeo pretiosum valde. In virtute benedictionis meae vade per regna et castra, et, ubi maiorem stultum inveneris, da illi pomum aureum.’ Ait filius: ‘Pater, praeceptum tuum adimplebo.’ His dictis rex vertit se ad parietem et emisit spiritum.

### Op zoek

Filius vero cum omni honore corpus patris tradidit sepulturae. Post haec vero per regna et castra perrexit, ut magis stultum inveniret. Accidit, quod ad quoddam regnum perrexit, in quo unus rex cum maxima sollemnitate coronabatur. Ille haec videns quaesivit ab aliquibus, quae esset consuetudo illius regni: utrum filius iure hereditano alicuius regis regnum occuparet aut

aliquis de populo esset electus. Dixeruntque illi: ‘Consuetudo illius regni est, quod quolibet anno unus rex eligatur et in fine anni deponatur. Per totum  
15 annum, quamdiu est rex, potest praecipere, ordinare, disponere, quidquid ei placet. Sed cum annus est finitus, spoliatur omnibus divitiis ac honore et nudus in exilium ponitur, ubi frigore et fame moritur.’

Filius imperatoris cum hoc audisset, regem noviter electum et coronatum intime respexit, quem vidit ridere, consolari, ludere, alia quoque perpetrare.  
20 In corde suo cogitavit: ‘Circuivi per castra et regna et multos stultos inveni; sed tam naturalem stultum sicut istum regem penitus non inveni. Hic potero benedictionem patris mei mereri.’

## **Gevonden**

Accessit ad eum et flexis genibus eum satis honorifice salutavit et dixit:  
‘Domine mi reverende, pater meus ante mortem suam mihi praecepit, ut  
25 istud pomum aureum tibi darem.’ Ostendit ei pomum et dedit.

Ait rex: ‘Carissime, qua de causa pomum mihi istud dedit, ex quo notitiam mei non habuit nec ego umquam aliquod bonum pro eo perpetratus sum?’

Qui ait: ‘Domine, tibi non dedit singulariter nec nomen tuum mihi expressit,

sed ubicumque invenirem maiorem stultum, illi pomum istud darem. Iam

30 per regna et castra circuivi et multos stultos inveni, sed iam ita stultum

naturalem non inveni sicut te. Et ideo pomum ex praecepto patris mei tibi

dedi.’

Ait rex: ‘Dic mihi, carissime, quare tu iudicas me tam naturalem stultum?’

Qui ait: ‘Cum tibi constet, quod in fine anni ab omni honore et divitiis

35 spoliatus eris et in exilium positus, ubi mala morte morieris, regnum istud

accepisti et iam gaudes et laetaris, ac si semper rex esses. Et ideo naturaliter

stultus. Propter hoc pomum tibi dedi.’

### **De grootste domkop?**

Ait rex: ‘Benedicta hora, qua huc venisti! Pomum istud mihi datum valebit

totum regnum meum.’ Statim, quamdiu erat rex, omni die aurum et

40 argentum, vinum, granum, oleum praemisit in exilium et omnia necessaria

in tanta copia, quod, si per trecentos annos vixisset, pro se et tota familia satis

abundanter haberet. In fine vero anni, cum spoliatus fuisset, in exilium est

missus nudus, ubi abundanter de omnibus necessariis usque ad finem vitae  
suae invenit.

### **Moralisatio**

45 Carissimi, rex iste est deus, qui legavit pomum aureum stultis. Per  
pomum rotundum intellegitur mundus iste, quem deus dat fatuis, qui magis  
mundum et ea, quae in mundo sunt, appetunt quam deum. Rex, qui per  
unum annum regnavit, potest dici quilibet homo in hoc mundo existens,  
cuius vita, licet centum annis vivet, est tamen quasi una hora respectu vitae  
50 futurae. Et tamen non desistit miser homo die ac nocte laborare et post  
mortem in exilium, id est in infernum, ponitur, si cum peccato mortali  
decedat, ubi mala infinita inveniet. Et pauci sunt, qui de isto exilio cogitant.





### 3 Van de dood gered – pag. 10

#### De eerste wens


Filius vero eius audiens, quod pater nesciret se iuvare, flexis genibus coram imperatore dixit: ‘Domine mi reverende, numquid tibi placet, quod pro patre meo moriar? Et hoc peto instanter.’ Ait imperator: ‘Mihi bene placet, ita tamen, quod unus ex vobis moriatur.’ At ille: ‘Domine, multum tibi regratior, quod mihi concessisti, quod debeam mori pro patre meo. Iam peto ante mortem meam tres petitiones secundum legem.’ Ait rex: ‘Non possum tibi negare.’ Qui ait: ‘Tantum unicum filiam habes; peto, ut una nocte mecum dormiat.’ Ille vero concessit, quamvis invitus. Tamen eam non defloravit. In hoc placuit ipse multum imperatori.

#### De tweede wens

10 Deinde: ‘Secunda mea petitio est: peto totum thesaurum tuum.’ Rex vero stupefactus; tamen, quod petivit, obtinuit. Accepit thesaurum et totum inter divites et pauperes dividebat, ita quod voluntatem totius populi obtinuit.

## De derde wens

Tunc ait: 'Domine mi rex, tertia petitio mea est ista: peto, ut omnes oculi  
de capitibus eruantur, qui viderunt patrem meum pectinem in scutella  
15 vertentem.' Haec audiens imperator fecit inquiri, quis vel qui viderint  
comitem vertere pectinem in scutella. Facta est inquisitio. Cogitavit  
unusquisque: 'Si ego dicam, amittam oculos meos.' Unde omnes timuerunt  
veritatem dicere, ita quod non fatebatur unus se vidisse illum vertere  
pectinem in scutella. Imperator haec audiens dedit pro iudicio, ut comes sine  
20 laesione transiret et quod filius eius filiam ipsius unicam in uxorem duceret.  
Et sic factum est. Post decessum imperatoris filius comitis factus est rex istius  
regni, qui satis prudenter regnum regebat.



#### 4 De soldaat en de leeuw – pag. 10

##### Op jacht

Quidam miles erat, qui super omnia venari dilexit. Accidit una die, quod, cum ad venandum perrexisset, occurrit ei leo claudicans, qui pedem suum ei ostendit. Miles vero de equo descendit et spinam acutam de pede eius extraxit atque unguentum vulneri eius apposuit. Sanatus est leo et ad nemora

5 perrexit.

##### Voor de leeuwen

Post hoc vero rex illius regni venatus est in eodem nemore. A casu eundem leonem cepit et nutritiv annis multis. Miles vero ille contra regem surrexit et in eandem forestam se posuit et omnes transeuntes spoliavit ac occidit. Rex vero exploratores habebat, qui eum apprehenderunt et ante regem duxerunt.

10 Rex vero dedit sententiam, ut leoni daretur ad devorandum, et quod nullus cibus leoni daretur, et hoc, ut eum devoraret.

Miles vero, cum ad eum in foveam esset proiectus, ultra, quam credi potest,

timuit exspectavitque horam, quando devoraretur. Leo cum eum vidisset,

appropinquavit, et cum eius notitiam haberet, eum, in quantum potuit,

15 protexit nec alios permisit, ut eum attingerent. Et sic leo sine cibo septem

diebus remansit, et miles illaesus.

### De beloning

`Rex cum hoc audisset, admirabatur fecitque militem de fovea extrahi et ait ei:

‘Dic mihi, carissime, quomodo potest esse, quod leo tibi non nocuit?’ Qui ait:

‘Domine mi, semel per silvam equitavi, leo iste mihi occurrebat claudicans,

20 ego vero spinam de pede eius extraxi et vulnus sanavi, et ideo, ut credo, mihi

pepercit.’ Ait rex: ‘Ex quo leo, animal irrationabile, tibi parcebat, ammodo

studeas vitam tuam corrigere! Tibi remitto, quidquid usque huc commisisti.’

Ille vero regi gratias egit et post hoc vitam suam correxit diesque suos in pace

finivit.



## 5 De heilige Hieronymus en de leeuw

### De gewonde leeuw

Quadam die advesperascente cum Hieronymus cum fratribus ad sacram  
lectionem audiendam sederet, subito leo quidam claudicans monasterium  
ingressus est. Quo viso cum ceteri fratres fugerent, Hieronymus ei quasi  
hospiti obviavit. Leo igitur dum pedem sibi laesum ostenderet, vocatis

5 fratribus pedes sibi praecepit ablui et diligenter eius plagam inquire. Quod  
cum factum fuisset, invenerunt leonis plantam a sentibus vulneratam.

Adhibita igitur diligenti cura leo convaluit et omni feritate deposita inter eos  
quasi domesticum animal habitavit.

Tunc Hieronymus videns, quod non tam pro sanitate sui pedis quam pro  
10 eorum utilitate Dominus leonem misisset, de fratrum consilio eidem hoc  
iniunxit officium, ut asinum, quem habebant, qui ligna de nemore deferebat,  
ipse leo ad pascua duceret et ductum ibidem custodiret. Quod factum est.

## 6 Een wonder van Sint Nicolaas

Quodam tempore totam provinciam Sancti Nicolai fames valida perculit ita, ut omnibus deficerent alimenta. Audiens autem vir Dei naves onustas tritico portui applicasse illuc statim proficiscitur rogans nautas, ut saltem in centum modiis per quamlibet navem fame periclitantibus subvenirent. Cui illi:

- 5 ‘Non audemus, pater; quia mensuratum est Alexandriae, oportet in horrea imperatoris nos reddere.’ Quibus Sanctus dixit: ‘Facite nunc, quod dico, et vobis in Dei virtute promitto, quod nullam minorationem habebitis apud regium exactorem.’ Quod cum fecissent et eandem mensuram, quam Alexandriae acceperant, reddidissent ministris imperatoris, miraculum
- 10 referunt et Deum in suo famulo magna laude attollunt. Frumentum autem secundum uniuscuiusque indigentiam vir Dei distribuit ita, ut miraculose duobus annis non tantum ad victum, sed etiam ad usum seminis abundaret.



## 7 Sint Joris (Georgius) en de draak

Cum ergo iam oves paene deficerent, maxime cum harum copiam habere non possent, inito consilio ovem cum adiuncto homine tribuebant. Cum igitur sorte omnium filii et filiae hominum darentur et sors neminem exciperet et iam paene omnes filii et filiae essent consumpti, quadam vice filia regis unica  
5 sorte est deprehensa et draconi adiudicata.

Tunc rex contristatus ait: 'Tollite aurum et argentum et dimidium regni mei et filiam mihi dimittite, ne taliter moriatur.' Cui populus cum furore respondit: 'Tu, o rex, hoc edictum fecisti et nunc omnes pueri nostri mortui sunt et tu vis filiam tuam salvare? Nisi in filia tua compleveris, quod in aliis  
10 ordinasti, succendemus te et domum tuam.'

Quod rex audiens coepit filiam suam flere dicens: 'Heu me, filia mea dulcissima, quid de te faciam? Aut quid dicam?' Et conversus ad populum dixit: 'Oro, ut indutias octo dierum lugendi mihi filiam tribuatis.' Quod cum populus admisisset, in fine octo dierum reversus populus est cum furore  
15 dicens: 'Quare perdis populum tuum propter filiam tuam? En omnes afflatu draconis morimur.'

### **De koningsdochter wordt opgeofferd**

Tunc rex videns, quod non posset filiam liberare, induit eam vestibus  
regalibus et amplexatus eam cum lacrimis dixit: 'Heu me, filia mea  
dulcissima, de te filios nutrire credebam et nunc vadis, ut a dracone  
20 devoreris. Heu me, filia mea dulcissima, sperabam ad nuptias tuas principes  
invitare, palatium margaritis ornare, tympana et organa audire, et nunc  
vadis, ut a dracone devoreris.' Et deosculans dimisit eam dicens: 'Utinam,  
filia mea, ego ante te mortuus essem, quam te sic amissem!' Tunc illa  
procidit ad pedes patris petens ab eo benedictionem suam. Quam cum pater  
25 cum lacrimis benedixisset, ad lacum processit.

### **Joris komt te hulp**

Quam beatus Georgius casu inde transiens, ut plorantem vidit, eam, quid  
haberet, interrogavit. Et filia: 'Bone iuvenis, velociter equum adscende et  
fuge, ne mecum pariter moriaris.' Cui Georgius: 'Noli timere, filia, sed dic  
mihi, quid hic praestolaris omni plebe spectante?' Et illa: 'Ut video, bone



30 iuvenis, magnifici cordis es tu, sed mecum mori desideras? Fuge velociter.'

Cui Georgius: 'Hinc ego non discedam, donec mihi, quid habeas, intimabis.'

Cum ergo totum sibi exposuisset, ait Georgius: 'Filia, noli timere, quia in

Christi nomine te iuvabo.' Et illa: 'Bone miles, mecum non pereas. Sufficit

enim, si sola peream, nam me liberare non posses et tu mecum perires.' Dum

35 haec loquerentur, ecce draco veniens caput de lacu levavit. Tunc puella

tremefacta dixit: 'Fuge, bone domine, fuge velociter.'

### **Joris bindt de strijd aan**

Tunc Georgius equum adscendens et cruce se muniens draconem contra se

advenientem audaciter aggreditur et lanceam fortiter vibrans et se Deo

commendans ipsum graviter vulneravit et ad terram deiecit dixitque puellae:

40 'Proice zonam tuam in collum draconis nihil dubitans, filia.' Quod cum

fecisset, sequebatur eam velut mansuetissima canis. Cum ergo eum in

civitatem duceret, populi hoc videntes per montes et foveas fugere coeperunt

dicentes: 'Vae nobis, quia iam omnes peribimus.' Tunc beatus Georgius

innuit iis dicens: 'Nolite timere, ad hoc enim me misit Dominus ad vos, ut a

45 poenis vos liberarem draconis; tantummodum in Christum credite et

unusquisque vestrum baptizetur et draconem istum occidam.'

Tunc rex et omnes populi baptizati sunt, beatus autem Georgius evaginato

gladio draconem occidit et ipsum extra civitatem efferri praecepit.



## 8 Kind om kind

- Tempore quodam, cum filia in area luderet, lupus ludentem illam per gulam rapuit et silvas vicinas petivit. Quem aliqui cum clamore insecuti sine ereptione puellulae tristes sunt reversi. Ex quibus unus in castrum cucurrit et matri in mensa sedenti raptum filiae nuntians ait: ‘Domina, lupus comedit
- 5 filiam vestram.’ Illa surrexit et in multa cordis amaritudine capellam intrans imaginem salvatoris de sinu matris evulsit et in haec verba proripuit: ‘Domina, numquam rehabebitis puerum vestrum, nisi mihi incolumem restituatis puerum meum.’
- Mira humilitas reginae coeli! Lupo protinus imperavit et ille puellam dimisit.
- 10 Insecuti plures de villa lupi vestigia iuxta quoddam fructum illam deambulantes reppererunt. Cui cum dicerent: ‘Unde venis, bona filia?’ respondit illa: ‘Mumma me mordit!’ Vestigia enim dentium lupi in gutture eius apparuerunt. Tunc filiam ad matrem ducentes, mox, ut illam sanam vidit, illa ad imaginem sacram cucurrit et puerum sinui eius restituens
- 15 ait: ‘Quia restituisti mihi filiam meam, en tibi restituo filium tuum.’

Caesarius van Heisterbach

# Les 2 Lieder uit de middeleeuwen

## 1 Drinklied

*refrein*

Io vivat, io vivat

nostrorum sanitas!



Hoc est amoris poculum,

doloris est antidotum.

5 Dum nihil est in poculo,

iam repleatur denuo.

Nos iungit amicitia

et vinum praebet gaudia.

Est vita nostra brevior,

10 et mors amara longior.

Osores nostri pereant,

amici semper floreat.

Iam tota Academia

nobiscum amet gaudia!



## 2 Geniet van het leven

Gaudeamus igitur,

iuvenes dum sumus.

Post iucundam iuventutem,

post molestam senectutem

5 nos habebit humus.



Ubi sunt, qui ante nos

in mundo fuere?

Vadite ad superos,

transite ad inferos,

10 ubi iam fuere.

Vita nostra brevis est,

brevi finietur;



venit mors velociter,

rapit nos atrociter,

15 nemini parcetur.

Vivat Academia,

vivant professores.

Vivat membrum quodlibet,

vivant membra quaelibet,

20 semper sint in flore.

Vivant omnes virgines,


graciles, formosae!

Vivant et mulieres,

tenerae, amabiles,

25 bonae, laboriosae.

Vivat nostra patria,



et qui illam regit!

Vivat nostra civitas,

Maecenatum caritas,

30 quae nos hic protegit.

Pereat tristitia,

pereant osores!

Pereat diabolus,

quivis antiburschius

35 atque irrisores.





### 3 Beurtzang

Tempus est iocundum, o virgines.

Modo congaudete, vos iuvenes.

*refrein:* O, o, totus floreo.

Iam amore virginali totus ardeo.

5 Novus, novus amor est, quo pereo.

Tua me confortat promissio.

Tua me deportat negatio.

Tempore brumali vir patiens,


animo vernali lasciviens.

10 Tua mecum ludit virginitas,

tua me detrudit simplicitas.

Veni, domicella, cum gaudio.

Veni, veni, bella, iam pereo.



#### 4 Waar is mijn liefje?

Floret silva nobilis

floribus et foliis.

Ubi est antiquus

meus amicus?

5 Hinc equitavit.

Eia, quis me amabit?

*refrein*

Floret silva undique

nach mine gesellen ist mir we.

Grünet der walt allenthalben,

10 wa is min geselle also lange?

der is geriten hinnen.

Owi! Wer sol mich minnen?

## 5 Lusteloos in de lente

Levis exsurgit Zepirus

et Sol procedit tepidus:

iam Terra sinus aperit,

dulcore suo difluit.

5 Ver purpuratum exiit,

ornatus suos induit,

aspergit terram floribus,

ligna silvarum frondibus.

Struunt lustra quadrupedes

10 et dulces nidos volucres,

inter ligna florentia

sua decantant gaudia.

Quod oculis dum video

et auribus dum audio,

15 heu, pro tantis gaudiis

tantis inflor suspiriis.

Cum mihi sola sedeo

et, haec revolvens, palleo,

si forte caput sublevo

20 nec audio nec video.

Tu saltim, veris gratia,

exaudi, et considera

frondes, flores et gramina –

nam mea languet anima.

Carmina Cantabrigiensia (ca. 1050)

## 6 Kom, o kom!

Veni, veni, venias,

ne me mori facias,

lyria, lyrie,

nazaza, trillirivos.

5 Pulchra tibi facies,

oculorum acies,

capillorum series,

o quam clara species.

Rosa rubicundior,

10 lilio candidior,

omnibus formosior,

semper in te glorior.

## 7 Het meisje in rood

Stetit puella

rufa tunica,

si quis eam tetigit,

tunica crepuit. Eia!

5 Stetit puella,

tamquam rosula:

facies splenduit,

os eius floruit. Eia!

## 8 Samen in een kamertje

Si puer cum puellula

moraretur in cellula,

felix coniunctio.

Amore suscrescente

5 pariter e medio,

propulso procul taedio,

fit ludus ineffabilis

membris, lacertis, labiis.





## 9 Geef ik me over

In trutina mentis dubia

fluctuant contraria,

lascivus amor et pudicitia.

Sed eligo quod video,

5 collum iugo praebeo;

ad iugum tamen suave transeo.

## 10 Overgave

Dulcissime, totam subdo tibi me.

## 11 Meisjesklacht

Huc usque, me miseram!

Rem bene celaveram

et amavi callide.

Res mea tandem patuit,

5 nam venter intumuit,

partus instat gravide.

Hinc mater me verberat,

hinc pater improperat,

ambo tractant aspere.

10 Sola domi sedeo,

egredi non audeo

nec inpalam ludere.

Cum foris egredior,  
a cunctis inspicio,  
15 quasi monstrum fuerim.

Cum vident hunc utrum,  
alter pulsatur alterum,  
silent, dum transierim.

Semper pulsant cubito,  
20 me designant digito,  
ac si mirum fecerim.

Nutibus me indicant,  
dignam rogo iudicant,  
quod semel peccaverim.

25 Quid percurram singula?

Ego sum in fabula

et in ore omnium.

Ex eo vim patior,

iam dolore morior,

30 semper sum in lacrimis.

Hoc dolorem cumulat,

quod amicus exulat

propter illud paululum.

Ob patris saevitiam

35 recessit in Franciam

a finibus ultimis.

Sum in tristitia

de eius absentia

in doloris cumulum.



## 12 Klacht van een oude dichter

Dives eram et dilectus,

inter pares praelectus:

modo curvat me senectus

et aetate sum confectus.

5 Paupertatis fero pondus,

meus ager, meus fundus,

domus mea totus mundus,

quem pererro vagabundus

quondam felix et fecundus

10 et facetus et facundus,

movens iocos et iocundus,

quondam primus, nunc secundus.

Victum quaero verecundus,

enutritus in Piero

15 eruditus sub Homero:

sed dum mane victum quaero

et reverti cogor sero,

iam in brevi (nam despero)

onerosus vobis ero.

20 Parum edo, parum bibo,

venter meus sine gibbo

et contentus pauco cibo

plenus erit parvo libo;

et, si fame deperibo,

25 culpam vobis hanc ascribo.

toegeschreven aan Hugo Primas d'Orleans (1093-1160)

### 13 Zwanenzang

Olim lacus colueram.

Olim pulcher exstiteram,

dum cygnus ego fueram.

*refrein:* Miser, miser!

5 Modus niger

etustus fortiter.



Eram nive candidior,

quavis ave formosior,

modo sum corvo nigrior.

10 Me rogus urit fortiter,

girat, regirat garcifer,

propinat me nunc dapifer.



Mallem in aquis vivere

nudo semper in aëre,

15 quam in hoc mergi pipere.

Nunc in scutella iaceo

et volitare nequeo,

dentes frendentes video.



## 14 Drinken of dichten

Lauriger Horatius,

quam dixisti verum:

‘Fugit Euro citius,

tempus edax rerum.’

*refrein*

5 Ubi sunt, o, pocula

dulciora melle,

rixae, pax et oscula

rubentis puellae?

Crescit uva molliter

10 et puella crescit;

sed poeta turpiter

sitiens canescit.

Quid iuvat aeternitas

nominis, amare

15 nisi terrae filias

licet et potare?

